

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia**

Quid in eo contineatur sequens pagina indicabit

**Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>**

**M.DC.XLVI., 1646**

Ad Severum de tranquilitate animi

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1509](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-1509)

58

# L. ANNÆI SENECAE

## AD SEVERVM DE TRAN- QVILITATE ANIMI.

### LIBER PRIMVS.

#### CAPUT I.

**N**O VIRENTI mihi in me, quædam vitia apparetant reiecta, in aperto posita, quæ manu prenderem; quædam obscuriora, & in recessu, quædam non continua, sed ex interuallis redeuentia: quæ vel molestissimæ dixerim: ut hostes vagos & ex occasionibus assilientes: per quos neutrum licet, non tanquam in bello paratum esse, nec tanquam in pace secutum. Illum tamen habitum in me maximè deprehendo (quæ enim non verum ut medico fatear?) me, nec bona fide liberatum iis quæ timebam & oderam, nec rursus obnoxium. In statu vi non pessimo, ita maximè querulo & motoso positus sum: Nec ægrotto, nec valeo. Non est quod dicas, omnium virtutum tenera esse principia, tempore ipsis duramentum & robur accedere. Non ignoros, etiam quæ in speciem laborant, dignitatem dico, & eloquentiarum famam, & quicquid ad alienum suffragium venire mora conualescere. Et quæ veras vires parant, & quæ ad placendum fuso quodam subornantur, expectant annos, donec pularim' colorem diuturnitas ducat. Sed ego vereor, ne consuetudo, quæ rebus assert constantiam, hoc vitium in me altius figat. Tam honorum quam malorum longa conuersatio amorem inducit. Hæc animi intertrunque dubij nec ad recta fortiter, nec ad praua vergentis infirmitas qualis sit, non tam semel tibi possum,

quam

quam per partes ostendere. Dicam quæ accident mihi: tu morbo nomen inuenies. Tenet me summus amor parsoniæ: fateor. Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non ponderibus auctamentis splendere cogentibus pressa: sed domestica, & vilis: nec seruata, nec sumenda sollicite. Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent, non ante multos paratus dies, nec multorum manib. ministratus: sed parabilis facilisque, nihil habens accessiti pretio: sed vñlibet non defuturus, nec patrimonio grauis, nec corpori, nec redditurus qua intrauerat. Placet minister inculitus & ruditus vernula, argentum graue rustici patris, sine vlo opere & nomine artificis: & mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones ciuitati nota: sed in vsum posita, quæ nullius coniuic oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidia. Cùn bene ista placuerunt, præstringit animum apparatus alicuius paedagogij diligentius quam iam intra priuatum larem vestita & auro culta mancipia, & agmen seruorum nitentium. Iam domus etiam qua calcatur pretiosa, & diuitiis per omnes angulos dissipatis, testa ipsa fulgentia, & affectator comesque patrimoniorum pereuntium populus. Quid perluentes ad imum aquas, & circumfluentes ipsa coniuicia: quid epulas loquar, scena sua dignas? Circumfudit me ex longo frugalitatis situ venientem, multo splendore luxuria, & vndique circumsonuit. Paulum titubat acies: facilius aduersus illam animum quam oculos atollo. Recedo itaque non peior, sed tristior. Nec inter illa friuola mea tam latet incedo, tacitusque morsus subit, & dubitatio, numquid illa meliora sint. nihil horum me mutat, nihil tamen non concutit. Placet vim præceptorum sequi, & in medium ire Rempublicam. Placet honores, fascesque, non purpura aut virgis adductum capessere: sed vt amieis propinquisque, & omnibus ciuibus, omnibus deinde mortalibus parior, vtiliorque sim, proprius positus. Sequor Zenonem, Cleanthum, Chrysippum: quorum tamen nemo ad Rempub. accessit, nemo non misit. Ad quam eum avium insolitum arietare permisi, vbi aliquid occurrit, aut indignum (vt in omni vita humana multa sunt) aut parum ex facili fluens, aut multum temporis res non

magnō aestimandæ poposcerunt, ad otium conuertor: & quemadmodum pecoribus fatigatis quoque, velocior do-  
mum gradus est. Placet intra parietes suos vitam coerce-  
re. Nemo ullum auferat diem, nihil dignum tanto impen-  
dio redditurus, sibi ipse animus harent, se colar, nihil alie-  
ni agat, nihil quod ad indicem spectet. Ametur expers pu-  
blicæ privatæque curæ tranquillitas. Sed vbi lectio fortior  
erexit animus, & aculeos subdiderunt exempla nobilis  
prosiliare libet in forum, commodare alteri vocem, alteri  
opera, et si nihil profuturam, tamen conaturam prodes-  
se: alterius coercere in foro superbiam, male secundis re-  
bus elati. In studiis puto mehercule melius esse res ipsas  
intueri, & harum causa loqui: ceterum verba rebus per-  
mittere, ut qua duxerint, hac inclaborata sequatur oratio.  
Quid opus est sæculis duratuta componere? Vis tu non id  
agere, ne posteri taceant? Morti natus es: minus molestia-  
rum habet funus tacitum. Itaque occupandi temporis  
causa, in usum tuum, non in præconium aliquid simplici  
stylo scribe. Minore labore opus est studentibus in diem.  
Rursus vbi se animus cogitationis magnitudine leuavit,  
ambitiosus in verba est, altiusque ut spirare, ita eloqui ge-  
fit, & ad dignitatem rerum exsurgit oratio: oblitus tum  
legis pressoriusque iudicij, sublimis feror, & ore iam non  
meo. Ne singula diutiua persequar, in omnibus rebus hæc  
me sequitur bona mentis infirmitas, cui ne paulatim de-  
fluam vereor, aut quod est sollicitius, ne semper casuro si-  
milis pendeam, & plus fortasse sit quam quod ipse prouideo.  
Familiariter enim domestica alpicimus, & semper iu-  
dicio fauor officit. Puto multos potuisse ad sapientiam  
peruenire, nisi putassent se peruenisse: nisi quædam in se  
dissimulasset, quædam apertis oculis transiliissent. Non  
est enim quod nos magis aliena iudices adulacione peri-  
te, quam nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? Quis  
non inter laudantium blandientiumque positus greges,  
plurimum tamen sibi ipse assentatus est? Rogo itaque, si  
quod habes remedium, quo hanc fluctuationem meam si-  
tias, dignum putas me, qui tibi tranquillitatem debeam.  
Non esse periculosos motus animi, nec quicquam tumultuosi afferentis scio. Ut vera tibi similitudine id quod que-  
tor exprimam, non tempestate vexor, sed nausea. Detrahe  
ergo

DE TRANQVILLITATE ANIMI 521  
ergo quicquid hoc est mali, & succurre in conspectu ter-  
rarum laboranti.

CAP. II. QVARO mehercule iamdudum, Serene, ipse  
tacitus, cui talem affectum animi similem putem. Nec  
vllijs proprius admoneor exemplo, quam eorum qui ex  
longa & graui valetudine expliciti, motiunculis, lenibus  
que interim offensis perstringuntur, & cum reliquias ef-  
fugerint, suspicionibus tamen inquietantur, medicisque  
iam sani manum porrigit, & omnem colorem corporis  
sui calumniantur. Horuna, Serene, non parum sanum est  
corpus, sed sanitati parum assuevit: sicut est quidam tre-  
mor etiam tranquilli maris, aut lacus, cum ex tempeste  
re requieuit. Opus est itaque non illis durioribus, quae  
etiam transcurrimus, vt alicubi obstes tibi, alicubi irasca-  
ris, alicubi instes grauius: sed illud quod ultimum ve-  
nit, vt fidem tibi habeas, & recta ire via te credas, nihil  
auocatus transuersis multorum vestigiis passim discut-  
rentium, & quorundam circa ipsam errantium viam.  
Quod desideras autem, magnum & summum est, Deo-  
que vicinum, non concuti. Hanc stabilem animi sedem,  
Graci <sup>di</sup> nouis vocant, de qua Democriti volumen e-  
gregium est: ego tranquillitatem voco, nec enim imitari  
& transferre verba ad illorum formam necesse est. Res  
ipsa de qua agitur, aliquo signanda nomine est, quod ap-  
pellationis Græcæ vim debet habere, non faciem. Ergo  
quærimus, quomodo animus semper æqualis, secundo-  
que cursu eat, propitiusque sibi sit, & sua lætus aspiciat, &  
hoc gaudium non interrupat, sed placido statu maneat,  
nec attolens se vñquam, nec deprimens. Id tranquilitas  
erit. Quomodo ad hanc perueniri possit, in vniuersum  
quæramus. Sumes tu ex publico remedio quantum vo-  
les. Totum interim vitium in medium protrahendum  
est, ex quo agnoscat quisque partem suam. Simul tu intel-  
liges, quanto minus negotiij habeas cum fastidio tui, quam  
hi quos ad professionem speciosam alligatos, & sub in-  
genti titulo laborantes, in sua simulatione pudor magis  
quam voluntas tenet. Omnes in eadem causa sunt, & hi  
qui levitate vexantur, ac tædio, assiduaque mutatione  
propositi, quibus semper magis placet quod reliquerunt:  
& illi qui marcent & oscitant. Adiice illos, qui non aliter

quam quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inueniunt: statim vitæ suæ formando subinde, in eo novissimè manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit. Adice & illos, qui non inconstantiaæ virtus parum leues sunt, sed inertia. Viuunt, non quomodo volunt, sed quomodo cœperunt. Innumerabiles deinceps proprietates sunt, sed viuis effectus virtutum, displace-re sibi, hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum prosperis, vbi aut non audent quantum concupiscunt, aut non consequuntur, & in spem toti prominent, semper instabiles mobilesque. Quod necesse est accidere pendentibus. Omni vita pendent, & inhonestæ se ac difficultia docent coguntque: & vbi sine præmio labor est, torquet illos irritum dedecus, & dolent se prava frusta voluisse. Tuac illos & pœnitentia coepiti tenet, & incipien-di timor, surrepitque illa iactatio animi, non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt: & cunctatio vitæ parum se explicantis, & inter de-stituta vota torpens animi situs. Quæ omnia grauiora sunt, vbi odio infelicitatis operosæ ad otium profugerunt, & ad secreta studia: quæ pati non potest animus ad civilia erexit agendique cupidus, & natura inquietus: parum sci-licit in se solatiorum habens: ideoque detractis oblecta-tionibus, quas ipsæ occupationes discurrentibus præbent, domum, solitudinem, parietes non fert, inuitus aspicit se, sibi relictum. Hinc illud est tedium, & displeasantia sui, & nusquam residentis animi voluntatio, & otij sui tristis atque ægra patientia: vtique vbi causas fateri puder, tormenta introrsus egit verecundia, in angusto inclusæ cupiditates siac exitu se ipsæ strangulant. Inde mox macrouræ & mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent su-spensam, deplorata tristem: inde ille affectus otium suum detestantium, querentiumque nihil ipsos habere quod a-gant, & alienis incrementis inimicissima inuidia. Alit e-nim liuorem infelix inertia: & omne destrui cupiunt, quia se non potuerunt prouehere: & ex hac deinde auersatione alienorum processuum & suorum desperatione, orbitascens fortunæ animus, & de sæculo querens, & in angulos se re-trahens, & pœnae incubans suæ, dum tædet sui, pigetque.

Na-

Natura enim humanus animus agilis est: & pronus ad motus. Grata omnis illi excitandi se materia est, gravior quibusque pessimi ingenii, quæ occupationibus libenter dereruntur. Ut vlcera quædam nocturas manus appetunt, & tactu gaudent, & feram corporum scabiem delectat, quicquid exasperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala vlcera eruperunt, voluptati esse laborem vexationemque. Sunt enim quædam, quæ corpus quoque nostrum cum quodam dolore delectant: ut versare se, & murare nondum fessum latus, & alio atque alio positum ventilari. Qualis ille Homericus Achilles est, modo pronus, modo supinus in varios habitus se ipse componebis. Quod proprium ægi est, nihil diu pati, & mutacionibus, ut remedii vti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, & litora pererrantur, & modo mari se, modo terra experitur semper præsentibus infesta leuitas. Nunc Campaniam petamus, iam delicata fastidio sunt: inculta videantur. Bruttios & Lucanos saltus persequamur. Aliquid tamen inter deserta amoeni requiratur, in quo luxuriosi oculi longo locorum horrentium squalore releuentur. Tarentum petatur, laudatusque portus, & hiberna cœli mitioris, & tecta vel antiquæ satis opulenta turbæ. Iam flectamus cursum ad urbem, nimis diu à plausi & fragore aures vacauerunt. Iuuat iam & humano sanguine frui. Aliud ex alio suscipitur, & spectacula spectaculis mutantur: ut ait Lucretius.

*Hoc se quisque modo semper fugit.*

Sed quid prodest, si non effugit? sequitur se ipse, & vrget grauissimus comes. Itaque scire debemus, non locoruæ vitium esse quo laboramus, sed nostrum. Infirmi sumus ad omne tolerandum, nec laboris papientes, nec voluptatis, nec nostra, nec vlli rei diutius. Hoc quosdam egit ad mortem, quod proposita s̄æpe mutando, in eadem reuolubantur, & non reliquerant nouitati locum. Fastidio illis esse coepit vita & ipse mundus, & subit illud rabidarum deliciarum: Quousque eadem?

CAP. III. AD VERSVS hoc tedium quo auxilio putem vtendum, quæris. Optimum erat (vt ait Athenodus) actione rerum & Reipub. tractatione, & officiis & ciuilibus se detinere. Nam ut quidam sole & exercitatione

& cura corporis diem ducunt, athletisque utilessimum est, lacertos suos, roburque cui se vni dicauerunt, maiorum temporis parte nutrire: ita nobis animum ad rerum cibarium certamen parantibus, in opere esse, longe pulcherrimum est. Nam cum utilem se efficere ciuibus mortalibusque propositum habeat, simul & exercetur & proficit, qui in mediis se officiis posuit communia priuataque pro facultate administrans. Sed quia in hac, inquit, tam insana hominum ambitione; tot calamnitatoribus in deterius recta torquentibus parum tuta simplicitas est, & plus futurum semper est quod obstet, quam quod succedit, à foro quidem & publico recedendum est: sed habet, ubi se etiam in priuato lare explicet magnus animus. Nec ut leonum animaliumque impetus caueis coertetur: sic hominum, quorum maxime in se ductu actiones sunt. Itatamen delituerit, ut vbiunque otium suum absconderit, prodeat velit & singulis & vniuersis, ingenio, voce, consilio. Nec enim is solus Reipub. prodest, qui candidatos extrahit & tuetur reos, & de pace belloque censet: sed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum praceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ridentes pensat ac retrahit, & si nihil aliud, certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus præstat, qui inter peregrinos & ciues, aut urbanus prætor præsentibus assessoribus tria verba pronuntiat, quam qui docet quid sit iustitia, quid pietas, quid sapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantum bonum sit bona conscientia? Ergo si tempus in studia conferas, quod subduxeris officiis, non deserueris, nec munus detrectaueris. Neque enim ille solus militat, qui in acie stat, & cornu dextrum laevumque defendit: sed & qui portas tuetur, & statione minus periculosa, non otiosa tamen, fungitur, vigilansque seruat, & armentario præst. Quæ ministeria quamvis incruenta sint, in numerum stipendiiorum veniunt. Si te ad studia reuocaueris, omne vita fastidium effugeris: nec nocte m fieri optabis tardio lucis, nec tibi grauis eris, nec aliis superuacuus: multos in amicitiam atrahes, affluetque ad te optimus quisque. Nunquam enim quamvis obscura virtus later, sed mittit sui signa. Quisquis di-

gnus

gus fuerit, vestigiis illam colliger. Nam si omnem conversationem tollimus, & generi humano renuntiamus, viuimusque in nos tantum conuersi, sequitur hanc solitudinem, omni studio carentem, inopia rerum agendarum. Incipiems adficia alia ponere, alia subuertere, & mare submouere, & aquas contra difficultates locorum ducere, & malè dispensare tempus, quod nobis natura consumendum dedit. Alij parce illo utimur: alijs prodige: alijs sic impendimus, ut possimus rationem reddere: alijs, ut nullas habeamus reliquias. Quare nihil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, praeter etatem. Mihi, charissime Sene, nimis videtur submisso temporibus se Athenodorus, nimis cito refugisse. Nec ego negauerim aliquando cedendum, sed sensim relato gradu, & saluis signis, salua militari dignitate. Sanctiores tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt. Hoc puto virtuti faciendum, studiosoque virtutis: si praeualebit fortuna, & præcedet aegendi facultatem, non statim auersus inermisque fugiat, latebras querens, quasi nullus locus sit, quo non possit fortuna persequi: Sed parcus se inserat officiis, & cum dilecta inueniat aliquid, in quo utilis ciuitati sit. Militare non licet? honores spectet, priuato vivendum est? sit orator. silentium indicatum est? tacita aduocatione eius iuuet, periculose etiam ingressu forum est? in dominibus, in spectaculis, in coniunctis, bonum contubernalem, amicum fiduciem, temperantem coniuiam agat. Officia si ciuiis amiserit, hominis exerceat. Ideo magno animo nos non unius viribus mœnibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus: Patriamque nobis mundum professi sumus: ut liceret latiorem virtuti campum dare. Praeculsum tibi triunale est, & rostris proliberis, aut comitiis? respire post te, quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum. Nunquam tibi ita magna pars obstructetur, ut non maior relinquatur. Sed vide, ne totum istud vitium tuum sit. Non vis enim nisi consul, aut prytanis, aut eerys, aut suffes administrare Remp. Quod si militare nolis, nisi imperator aut tribunus? etiam si alij primam frontem tenebunt: te sors inter triarios posuit: inde voce, adhortatione, exemplo animo milita. Præciliis quoque manibus ille in pœlio

inuenit, quod partibus conferat, qui stat tantum, & clamore iuuat. Tale quiddam facies si à prima te Reip. parte fortuna submouerit: stes tamen, clamore iuues: si quis fauces oppresserit, stes tamen, & silentio iuues. Nunquam inutilis est opera ciuius boni. Auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacita, incestuque ipso prodest. Ut salutaria quædam circa gustum tactumque odore proficiunt: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo & latens fundit, siue spargitur & se vtiuit, suo iure: siue precarios habet excessus, cogiturque vela contrahere: siue otiosa mutaque est, & angusto circumscripta, siue adaperata: in quounque habitu est, prodest. Quid tu patrum vtile putas exemplum bene quiescentis? Longè, inquam, optimum est miscere otium rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis, aut civitatis conditione prohibetur. Nunquam enim usque eo interclusa sunt onnia, ut nulli actioni honestæ locus sit. Nunquid potes inuenire vibem miseriorem, quam Athenienium fuit, cum illam triginta tyranni duellerent, mille trecentos ciues, optimum quemque, occiderant. Nec finem ideo faciebat, sed irritabat se ipsa sauitia. In qua ciuitate erat ariopagos, religiosissimum iudicium, in qua senatus, populusque senatus similis coibat, quotidie carnificum triste collegium, & infelix curia tyrannis angusta. Poteratne illa ciuitas conuicta, in quæ toti tyranni, tot satellites erant? Ne spes quidem illa recipiendæ libertatis animi poterat offerri. nec ulli remedio locus apparebat contra tantam vim malorum. Vnde enim miseræ ciuitati tot Harmodios? Socrates tamen in medio erat, & lugentes patres consolabatur, & desperantes de Republ. exhortabatur, & diutibus opes suas metuentibus reprobarbat seram pericolosæ auaritiae penitentiam: & imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenæ ipsæ in carcere occiderunt: & qui tuto insultauerat agmini tytannorum, eius libertatem libera ciuitas non tulit: ut scias & in afflcta Rep. esse occasionem sapienti viro ad se proferendum, & in florentiæ beatæ, impotentiam, inuidiam, mille alia vitia inermia regnare. Vt unques ergo se Resp. dabit, vt cunque fortuna permitteat, ita aut explicabimus nos, aut contrahemus. Vti-

que

que mouebimus, nec alligati metu torpebimus. Immo ille vir fuerit, qui periculis vnde imminentibus, armis & catheris circumfrementibus, non alligeret virtutem nec absconderit. Non est enim seruare se, obvire. Ut opinor, Curius Dentatus aiebat, malle esse se, quam vivere mortuum. Ultimum malorum est, ex viuorum numero exire antequam moriatis: sed faciendum erit, si in Reip. tempus minus tractabile inciderit, ut plus otio ac litteris vindices, nec aliter quam in periculoſa nauigatione subinde portum petas: nec expectes donec res dimittant, sed ab illis te ipse diiungas.

CAP. IV. Inspicere autem debemus primum nosmetipſos. deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum causa, aut cum quibus agendum est. Ante omnia necesse est scipium aestimare: quia fere plus nobis videtur posse, quam possumus. Alius eloquentiae fiducia probabitur, aliis patrimonio suo plus imperauit, quam ferre possit: aliis infirmum corpus laborioso oppressit officio. Quorundam parum idonea verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem desiderant: quorundam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram in potestate: & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. Quidam urbanitatem nesciunt continere, nec periculis abstinent salibus. Omnibus his utilior negotio quies est. Ferox impatiensque natura irritamenta nociturae libertatis evitet.

CAP. V. AESTIMANDA sunt deinde ipsa quæ aggrediuntur, & vires nostræ cum rebus quas tentaturi sumus, conparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quam in onere. Necesse est opprimant onera, quæ ferente maiora sunt. Quædam præterea non tam magna sunt negotia, quam fœcunda, multumque negotiorum ferunt. Et hæc refugienda sunt, ex quibus noua occupatio multiplexque nasceretur. Nec accedendum eo unde liber regressus non sit. His admouenda manus est, quorum siacem aut facere, aut sperare possit. Relinqua quæ latius actu procedunt, nec ubi proposueris, desinunt.

CAP. VI. HOMINVM vtique delectus habendus est, an digni sint quibus partem vitæ nostræ impendamus, an ad illos temporis nostri iactura perueniat. Quidam vltro officia nostra nobis imputant. Athenodorus ait, ne ad cœ-

nam quidem se iturum ad eum qui sibi nil pro hoc debitur sit. Puto intelligis, multo minus ad eos iturum, qui cum amicorum officiis paria in mensa faciunt, qui fercula pro congiariis numerant: quasi in alienum honorem in temperantes sint. Deme illis testes spectatoresque: non delectabili popina secreta. Considerandum est, utrum natura tua agendis rebus, an otioso studio, contemplatione aptior sit: & eo inclinandum, quo te vis ingenij defert. Iocrates Ephorum inicta manu a foro subduxit, utilior rem componendis monumentis historiarum ratus. Malè enim respondent coacta ingenia, reluctante natura irritus labor est.

CAP. VII. NIHIL tamen æque oblectauerit animum, quam amicitia fidelis. Quantum bonum est, vbi sunt preparata pectora, in qua tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeras, quorum sermo solitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit, a cupiditatibus eligemus. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque ut in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatusque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenii dabimus operam, ut quam minime inquinatos afflumamus. Initium morbi est, ægris sana miscere. Nec hoc præcepit tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris, aut attrahas. Vbi enim istum inuenies, quem tot aculis querimus? Pro optimo est minime malus. Vix tibi esset facultas delectus felicitatis, si inter Platonas & Xenophontas, & illum Socratice ficius præuentum bonos quærceres, aut si tibi potestas Catonianæ fieret ætatis, quæ plerosque dignos tulit, qui Catonis filio nascerentur, sicut multos peiores quam vñquam alias, maximorumque moliores scelerum. Utique enim turba opus erat, ut Cato posset intelligi, habere debuit & bonos, quibus se approbaret, & malos, in quibus vim suam experiretur. Nunc vero in tanta honorum egestate, minus fastidiosa fiat electio. Præcipue tamen videntur tristes, & omnia deplorantes, quibus nulla non causa in querelas placet.

Con-

Constat illi licet fides & benevolentia, tranquilitati tamen inimicus est comes perturbatus, & omnia gemens.

C A P . VII I . T R A N S E A M V S ad patrimonia, maximam humanatum ærumnarum materiam. Nam si omnia alia quibus angimus, compates, mortes, ægrotationes, metus, desideria, dolorum laborumque patientiam, cum iis quæ nobis mala pecunia nostra exhibet: haec pars multum prægrauabit. Itaque cogitandum est, quanto leuior dolor sit, non habere, quam perdere: & intelligemus paupertati eo minorem tormentorum, quo minorem damnorum esse materiam. Erras enim, si putas animosius detrimenta diuites ferre. Maximis minimisque corporibus par est dolor vulneris. Bion eleganter ait, Non minus molestum esse comatis quam caluis, pilo velli. Idem scias licet de pauperibus locupletibusque, par illis esse tormentum. Vtrisque enim pecunia sua adhæsit, nec sine sensu auelli potest. Tolerabilius autem est, vt dixi, facilisunque, non acquirere, quam amittere. Ideoque lætiores videbis quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Videlicet Diogenes, vir ingentis animi, & effecit ne quid sibi etipi posset. Tu istud paupertatem, inopiam, egestatem voca, & quam voles ignominiosum securitati nomen impone. Putabo hunc non esse felicem, si quem mihi alium inuenieris cui nihil pereat. Aut ego fallor, aut regnum est, inter auaros, circumscriptores, latrones, glagiarios, unum esse, cui noceri non possit. Si quis de felicitate Diogenis dubitat, potest idem dubitare & de deorum immortalium statu, an parum beatæ degant, quod illis non prædia, nec horti sint, nec alieno colono rura pretiosa, nec grande in foro fœnus. Non te pudet, quisquis diuitiis adstupes? Respice agendum mundum: nudos videbis deos, omnia dantes, nihil habentes. Hunc tu pauperem putas, an diis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exxit? Feliciorem tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non pudet locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie seruorum, velut Imperatori exercitus, referebatur, cui iamdudum diuitiae esse debuerant, duo vicarij, & cella laxior. At Diogeni seruus ynicus fugit, nec eum reducere, cum monstraretur tanti putauit. Turpe est, inquit, Manen sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse.

Videtur mihi dixisse : Age tuum negotium fortuna, nihil apud Diogenem iam tuum est. Fugit mihi seruus, immo liber abiit. Familia vestiarum petit, victumque. Tot ventres audiissimorum animalium tuendi sunt. Emenda vestis, & custodienda rapacissimæ manus, & flentum detestantiumque ministeris vtendum. Quanto ille felicior, qui nihil vlli debet, nisi, cui facillimè negat, sibi. Sed quoniam non est tantum roboris nobis, angustanda certe sunt patrimonia, ut minus ad iniurias fortunæ simus expositi. Habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma sua cum trahi possunt, quam que superfunduntur, & vndique magnitudo sua vulneribus obiecit. Optimus pecuniae modus, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate discedit.

CAP. IX. PLACEBIT autem hæc nobis mensura, si prius parsimonia placuerit: sine qua nec vllæ opes sufficiunt, nec vllæ sat is patent: præsertim cum in vicino remedium sit, & possit ipsa paupertas in diuitias se, aduocata frugalitate, conuertere. Assuecamus à nobis removere pomparam, & vsu rerum ornamenra metiri. Cibis famem domet, potio sitim, libido qua necesse est float. Discamus membris nostris inniti: cultum victumque non ad noua exempla componere, sed ut maiorum suadent mores. Discamus continentiam augere, luxuriam coercere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aspicere, frugalitatem colere, etiam si nos pudebit desideris naturalibus paruo parata remedia adhibere, spes effrænatas, & animum in futura eminentem velut sub vinculis habere, id agere ut diuitias à nobis potius quam à fortuna petamus. Non potest, inquam, tanta varietas & iniquitas casuum ita depelli, ut non multum procellarum irruat magna armamenta pudentibus: cogendæ in arctum res sunt, ut tela in vanum cadant. Ideoque exilia interdum calamitatēsque in remedium cessere, & leuioribus incommodis grauiora sanata sunt, vbi parum audit præcepta animus, nec curati mollibus potest. Quid nō consulitur? si & paupertas & ignominiosa rerum querio adhibetur: malo malum opponitur. Assuecamus ergo coenare posse sine populo, & seruis paucioribus serui, &

ri, & vestes parare in quod inuentæ sunt, habitare contrariis. Non in cursu tantum circique certamine, sed in his spatiis vita interius flectendum est. Studiorum quoque, quæ liberalissima impensa est, tamdiu rationem habebos, quandiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quatum dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba, non intruit: multoque fastus est paucis te auctoriibus tradere, quam errare per multos! Quadragesima millia librorum Alexandriæ asserunt, pulcherrimum regiae opulentiae monumentum aliis laudaverit, sicuti Liuius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantiæ illud, aut cura, sed studiosa luxuria: immo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparauerant: sicut plerisque ignarisi etiam seruilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. Pareatur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatum. Honestius, inquis, in hos impensas quam in Corinthia paterasque tabulas effuderim. Vitosum est ubique quod nimium est. Quid habes cur minus ignorcas nomen matrone atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignoritorum auctorum aut improbatorum, & inter tot milia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent, titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid orationum historiatumque est, & teckò tenus extorta loculamenta. Iam enim inter balnearia & thermas, bibliotheca quoque, ut necessarium domus ornamentum, expolitur. Ignoscetem plane, si è studiorum nimia cupidine oritur. Nuac ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem & cultum parjetum comparantur.

CAP. X. At in aliquod genus vitæ difficile incidisti, & tibi ignorantι vel publica tortuna, vel priuata laqueum impegit, quem nec solueret possis, nec abrumperet. Cogita compeditos, primo ægri ferre onera & impedimenta cratum: deinde ubi non indignari illa, sed pari proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facile. Inuenies in quolibet genere vite oblectamenta, & remissiones, voluptates, si nolueris malam putare vitam potius quam inuidiosam facere. Nullo melius nomine

de nobis natura meruit, quam quod cum sciret, quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens. Nemo duraret, si rerum aduersarum eandem vim asfiditas haberet, quam primus ictus. Omnes cum fortuna copulati sumus. Aliorum aurea cathena est, & laxa: aliorum arcta & sordida. Sed quid refert? eadem custodia variuersos circumdedidit: alligataque sunt etiam qui alligeruerunt. Nisi tu forte leuiorem in sinistra catheram putas. Alium honores, aliud opes vinciunt. Quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit, quibusdam aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua: quosdam exilia uno loco tenent, quosdam sacerdotia. Omnis vita seruitum est. Assuescendum itaque conditioni suæ, & quam minimum de illa querendum: & quicquid haber circa se commodi, apprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium intueniat. Exiguæ sæpe areae in multos usus describentis arte patuere; & quamvis angustum pedem dispositio fecit habitabilem. Adhibe rationem difficultatibus: possunt & dura molliri, & angusta laxari, & grauia scite ferente minus premere. Non sunt præterea cupiditates in longinquum mittendæ, sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi extotto non patientur. Relictis his quæ aut non possunt fieri, aut difficulter possunt prope polita, speique nostræ alludentia sequamur. Sed sciamus omnia æque leuis esse, extrinsecus diuersas facies habentia, introfusis pariter vanæ. Nec inuidamus altius statibus. Quæ excelsa videntur, prærupta sunt. Illi rursus quos fors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, & fortunam suam quam maximè poterunt, in planum deferendo. Multi quidem sunt, quibus necessario hærendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt, nisi caddendo descendere: sed hoc ipsum testentur, maximum onus suum esse, quod aliis graues esse cogantur, nec subleuatos se, sed suffixos: iustitia, mansuetudine, humana lege, & benigna manu præparent multa ad sequentes casus præsidia, quorum ipse securius pendeant. Nihil tamen æque hos ab his aniimi fluctibus vindicauerit, quam semper aliquem incrementis terminum figere: nec fortunæ arbitrium

arbitrium desinendi dare , sed ipsos , & quidem vltro, etra extrema consistere . Sic & aliquæ cupiditates animum a- ccent , sed finitæ ; non immensum incertumque produ- cent.

CAP. XI. AD imperfectos & mediocres , & male sanos hic meus sermo pertinet non ad sapientem . Huic non ti- mide , nec pedetentim ambulandum est . Tanta enim fi- ducia sui est vt obuiam fortunæ ire non dubitet , nec vn- quam loco illi cessurus sit : nec habet vbi illam timeat: quia non mancipia tantum possessionesque & dignitatem , sed corpus quoque suum & oculos , & quicquid est cariorem vitam facturum , seque ipsum inter precaria numerat , vi- uitque commodatus sibi , & reposcentibus sine tristitia redi- turus . Nec ideo est vilis sibi , quia scit suum non esse : sed omnia tam diligenter faciet , tam circumspetet , quam re- ligiosus homo sanctusque solet tueri fideicomissa . Quan- docunque autem reddere iubebitur , non queretur cum fortuna : sed dicit : Gratias ago pro eo quod possedi , habui- que . Magna quidem res tuas mercede colui : sed quia im- peras , cedo gratus libensque . Si quid habere me tu volue- ris , etiam nunc seruabo : si aliud placet , ego vero factum si- gnatumque argentum , domum familiamque meam reddo restituo . Appellauerit natura , quæ prior nobis creditit , & huic dicemus : Recipe animum meliorem quam dedisti . nō tergiuersor nec refugio . paratum habes à volente , quod non sentienti dediti . Aufer . Reuerti vnde veneris , quid graue est ? Malè viuet , quisquis nesciet bene mori . Huic itaque primum rei pretium detrahendum est , & spiritus inter seruitia numerandus . Gladiatores ( ait Cicero ) in- uisos habemus , si omni modo vitam impetrare cupiunt : fauemus , si contemptum citius p̄ se ferunt . Idem euenire nobis scias . Sæpe enim causa moriendi est , timide mori . Fortuna illa quæ ludos sibi facit . Quo , inquit , te reseruem , malum & trepidum animal ? eo magis contulneraberis & confodieris , quia nescis præbere ingulum . At tu & viues diutius . & morieris expeditius , qui ferrum non subducta seruice , nec manibus oppositis , sed animose recipis . Qui mortem timebit , nihil vñquam pro vino faciet . At quæ seit , hoc sibi cum conciperetur , statim condictum , viuet ad formulam , & simul illud quoque eodem animi robore

præstabit, ne quid ex his quæ eueniunt, subitum sit. Quies  
quid enim fieri potest, quasi futurum prospicendo, malo-  
rum omnium impetus mollet, qui ad præparatos expe-  
stantesque nihil afferant noui, securis & beata tantum spe-  
ctantibus graues euehiunt. Morbus enim, captiuitas, rui-  
na, ignis, nihil horum repentinum est. Sciebam in quam  
rum alius sum me contubernium natura duxisset. Totiens  
in vicinia mea concilamatum est, totiens præter limen im-  
maturas exequias fax cererisque præcessit. Sæpe altius  
ruentis ædificij fragor sonuit. Multos ex his quos forum,  
curia, sermo, mecum contraxerat, nox abstulit, & vincas  
ad sodalitium matris copulatas intercidit. Miter aliquan-  
do ad me pericula accessisse, quæ circa me temper errau-  
erunt? Magna pars hominum est, quæ nauigatura de tempe-  
state non cogitat. Nunquam me in bona re, mali pudebit  
auctoris. Publius tragicis comicisque vehementior inge-  
niis, quotiens mimicas ineptias, & verba ad summam ca-  
ueam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno non  
tantum sifario fortiora, & hoc ait?

*Cuius potest accidere quod cuiquam potest.*

Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena ma-  
la quorum ingens quotidie copia est, sic aspicerit, tanquam  
illis liberum & ad se iter sit, multo ante se armabit, quam  
petatur. Sero animus ad periculorum patientiam post pe-  
ricula instruitur. Non putui hoc futurum, nunquam hoc  
euehiunt credidisse. Quare autem non? Quæ sunt di-  
uitiæ, quæ non egestas, & famæ, & mendicitas à tergo  
sequatur? Quæ dignitas, cuius non prætextam, & augura-  
le, & patritia, & lordes comitentur, & exportatio, & no-  
ta, & mille maculæ, & extrema contemptio? Quod re-  
gnum est, cui non parata sit ruina, & proculatio & domi-  
nus, & carnifex? Nec magnis ista interuersis diuisa, sed  
horæ momentum interest inter solum & aliena genua.  
Sic ergo, omnem condicionem versabilem esse: & quic-  
quid in illam incurrit, posse in te quoque incurtere.  
Locuples es, nunquid ditione Pompeio? cui cum vetus  
cognatus, hospes nouus, aperuisset Cæsaris domum, ve  
suam cluderet, defuit panis & aqua: cum tot flumina  
possideret in suo orientia, & in suo cadentia, mendica-  
bit stillicidia, fame ac siti periit, in palatio cognati, dum

illi heres publicum funus esurienti locat. Honoribus summis functus est. Nunquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam vniuersis, quam Seianus? Quo die illum senatus deduxerat, populus in frusta diuisit, in quem quicquid congeri poterat, dij hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? non ad Crosum te mittam, qui rogum suum, & escendit iussus, & extingui vidit, factus non regno tantum, sed etiam morti suæ superstes: non ad lugurham, quem populus Romanus intra annum quem timuerat, spectauit. Ptolomæum Afriæ regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus, alter in exilium missus est: alter ut meliore fide mitteretur optabat. In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatione, si non quicquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus aduentis: quas infregit, quisquis prior vidit. Proximum ab his erit, ne aut in superuacuis, aut ex superuacuo laboremus: id est, ne aut qua non possumus consequi, concupiscamus: aut adepti, cupiditatum vanitatem nostrarum sero post multum pudorem intelligamus, id est, ne aut labor iritus sine effectu sit, aut effectus labore indignus. Fere enim ex his tristitia sequitur, si aut non successit, aut successus pudet.

CAP. XII. CIRCVMCIDENDA est concursatio, qualis est magnæ parti hominum, domos & theatra, & fora peterrantium. Alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem excentem domo interrogaueris: Quo tu? quid cogitas? Respondebit tibi: Non mehercule Icio: sed aliquos videbo, aliquid agam. Sine proposito vagantur, querentes negotia: nec quæ destinauerunt, agunt, sed in quæ incurerunt. Inconsultus illis unusquisque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Hic plerique similem vitam agunt, quorum non immerito quis in quietam inertiam dixerit. Quorundam quasi ad incendium currentium misereberis: vsque eo impellunt obuios, & se aliosque præcipitant: cum interim concurrerint, aut salutari aliquem non resalutaturum, aut funus ignotii hominis prosecuturi, aut iudicium saepe litigantis, aut sponsalia lœxa nubentis, & lecticam affectati: quibusdam

locis & ipsi tulerint, deinde domum cum superiuacua redeuntes lassitudine, iurant nescisse ipsoes, quare exierint, ubi fuerint, postero die erraturi per eadem illa vestigia. Omnis itaque labor aliquo referatur, aliquo respiciat. Non industria inquietos, & insanos, sed falsæ rerum imagines agitant. Nam ne illi quidem sine aliqua spe mouentur, prioritat illos alicuius rei species, cuius vanitatem capta mens non arguit. Eodem modo vnumquemque ex his qui ad augendam turbam exeunt, inanæ & leues causæ per urbem circumducunt, nihilque habentem in quo laboret, lux orta expellit: & cum multorum frustra liminibus illisis nomenclator persalutauit, à multis exclusus, neminem ex omnibus difficultius domi quam se conuenit. Ex hoc modo dependet illud ritterium vitium, auscultatio, & publicorum secretorumque inquisitio, & multarum rerum scientia, quæ nec tuto narrantur, nec turo audiuntur. Hoc securum puto Democritum ita ccepisse: Qui tranquille volet vivere, nec priuatim agat multa, nec publicè: ad superiuacuam scilicet referentem. Nam si necessaria sunt, & priuatim, & publicè, non tantum multa, sed innumerabilia agenda sunt. Vbi vero nullum officium solemne nos citat, inhibenda actiones sunt.

CAP. XIII. Nam qui multa agit, saepè fortunæ potestatem sui facit: quem tutissimum est raro experiri, ceterum semper de illa cogitare, & sibi nihil de fide eius promittere. Navigabo, nisi si quid inciderit: & prætor fiam, nisi si quid obsterit: & negotiatio mihi respondebit, nisi si quid interuenierit. Hoc est, quare sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere. Non illum casibus hominum accipiemus, sed erroribus. Nec illi omnia, ut voluit cedunt, sed ut cogitauit. In primis autem cogitauit aliquid posse propositis suis resistere. Necesse est autem leuius ad animum pervenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum non vtique promiseris.

CAP. XIV. FACILES etiam nos facere debemus, ne nimis destinatis rebus indulgeamus. transeamus in eam quæ nos casus deduxerit: nec mutationes aut consilij aut status pertimescamus: dummodo nos leuitas, inimicissimum quieti vitium, non exipiat. Nam & pertinacia necesse est auxia & misera sit, cui fortuna saepè aliquid extorqueret: & leui-

leuitas multo grauior, nusquam se continuaens. Vtrumque  
 infestum est tranquillitati, & nihil mutare posse, & nihil  
 pati. Vtique animus ab omnibus externis in se reuocan-  
 dus est, sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat, recedat quam-  
 tum potest ab alienis, & se ipsis applicet, damna non sen-  
 tiat, etiam aduersa benignè interpretetur. Nuntiato nau-  
 fragio, Zeno noster cum omnia sua auditet submersa: Iu-  
 bet, inquit, me fortuna expeditius philosophari. Minaba-  
 tur Theodoro Philosopho tyranno mortem, & quidem  
 insepultam. Habes, inquit, cur tibi placeas. hemina san-  
 guinis in tua potestate est. nam quod ad sepulturam perti-  
 net, ò te ineptum, si putas interesse, supra terram an in-  
 fra putrescam. Canius Iulus, vir in primis magnus, cuius  
 admirationi ne hoc quidem obstat, quod nostro saeculo  
 natus est, cum Caio diu altercatus, postquam abeundi ille  
 dixit: Ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te iussi. Gra-  
 tias, inquit, ago, optime Princeps. Quid senserit, dubito.  
 Multa enim occurunt in hi. Contumeliosus esse voluit,  
 & ostentare quanta crudelitas esset, in qua mors benefi-  
 cium erat? An exprobrauit illi quotidiam dementiam?  
 Agebant enim gratias, & quorum liberi occisi, & quorum  
 bona ablata erant. An tanquam libertatem libenter acce-  
 pit? Quicquid est, magno animo respondit. Dicit aliquis:  
 Potuit post hæc iubere illum Caius viuere. Nec timuit  
 hoc Canius. Nota erat Caius in talibus impetis fides. Cre-  
 dis ne illum decem medios usque ad supplicium dies sine  
 villa sollicitudine exegisse? Verisimile non est, quæ vir ille  
 dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat  
 latrunculis, cum centurio agmen periturorum trahens,  
 & illum quoque citari iubet. Vocatus numerauit calcu-  
 los, & sodali suo: Vide, inquit, ne post mortem meam men-  
 tiaris te vicisse. Tum annuens centurioni: Testis, inquit,  
 eris, uno me antecedere. Lusisse tu Canium illa tabula pu-  
 tas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. Quid  
 incesti, inquit, estis? Vos queritis, an immortales animæ  
 sint. Ego iam sciam, nec desit, in ipso veritate fine scruti-  
 nari, & ex more suo quæstionem habere. Prosequatur il-  
 lum Philosophus suus: nec iam procul erat tumulus, in  
 quo Cæsari deo nostro siebat quotidianum sacrum. Quid,  
 inquit, Cani nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Obser-

uare, inquit Canius, proposui illo velocissimo momento, an sensus sit animus, exire se promisitque, si quid exploras, circumiterum amicos, & indicaturum quis esset animalium status. Ecce in media tempestate tranquillitas: ecce animus eternitate dignus qui fatum suum in argumentum veri vocat, qui in ultimo illo gradu positus, exuentem animam percontatur, nec usque ad mortem tantum, sed aliquid etiam ex ipsa morte dicit. Nemo diutius philosophatus: sed non raptim relinquetur magnus vir, & cum cura dicendus. Dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, Caianae cladis magna portio.

CAP. XV. SED nihil prodest priuatae tristitiae causas abieciisse. Occupat enim nonnunquam odium generis humani, & occurrit tot saeculum felicium turbæ, cum cogitaueris, quam sit rara integritas, quam ignota innocentia, & vix usquam, nisi cum expedit, fides, & libidinis lucra damnaque pariter iniusa, & ambitio usque eo iam se suis non continens terminis, ut per turpitudinem splendeat. Agitur animus in noctem, & velut eversis virtutibus, quas nec sperare licet, nec habere prodest, tenebrae obriuntur. Itaque in hoc fleetendi sumus, ut omnia vulgi vitia non iniusa nobis, sed ridicula videantur: & Democritum potius initemur, quam Heraclitum. Hic enim quotiens in publicum processerat, flebat: ille ridebat. Huic omnia quæ agimus, miseriae: illi inceptiæ videbantur. Eleuanda ergo & omnia & facili animo ferenda. Humanius est deridere vitam, quam deplorare. Adiice, quod de humano quoque genere melius meretur, qui ridet illud, quam qui luget. Ille spei bona aliiquid relinquit: hic autem stulte deflet, quæ corrigi posse desperat: & vniuersa contemplatus, maioris animi est, qui risum non tenet, quam qui lacrymas: quando levissimum affectum animi mouet, & nihil magnum, nihil severum, nec serium quidem ex tanto apparatus putat. Singula propter quæ lati ac tristes sumus, sibi quisque proponat, & sciat verum esse, quod Bion dixit, Omnia hominum negotia humilia initia esse, nesvitam illorum magis sanctam ac securam esse, quam conceptus inchoatos. Sed satius est publicos mores & humana vita placide accipere, nec in risum, nec in lacrymas excidere. Nam alienis malis torqueri, æterna miseria est: alienis

hienis delectati malis, voluptas inhumana. Sicut illa iniutilis humanitas, fieri, quia aliquis filium efferat, & frontem suam fingere. In tuis quoque malis id agere te oportet, ut dolori tantum des, quantum possit ratio, non quantum consuetudo. Plerique enim lacrymas fundunt, ut ostendant: & totiens siccos oculos habent, quotiens spectator defuit: turpe iudicantes, non fieri, cum omnes faciant. Adeo penitus hoc se malum fixit, ex aliena opinione pendere, ut in simulationem etiam simplicissima res dolor veniat. Sequitur pars qua solet non immerito contristare, & in solitudinem deducere, ubi bonorum exitus mali sunt. Ut Socrates cogitat in carcere mori. Rutilius in exilio vivere? Pompeius & Cicero clientibus suis praebere ceruicem. Cato ille, virtutum viua imago, incumbens gladio, simul de se ac de Rep. palam facere. Necesse est queri, tam iniqua premia fortunam persoluere. Et quid sibi quisque nunc soeret, cum videat pessima optimos pati? Quid ergo est? Vide quomodo quisque illorum tulcerit: & si fortes fuerunt ipsorum, animos desidera: si muliebriter & ignave periere, nihil periit. Aut digni sunt, quorum virtus tibi placeat: aut indigni, quorum desideretur ignavia. Quid enim est turpius, quam si maximi viti timidos fortiter moriendo faciunt? Laudemus totiens dignum laudibus, & dicamus: Tanto fortior, tanto felicior: humanos effugisti casus, liuorem, morbum: existi ex custodia, non tu dignus mala fortuna. Diis visus es, sed indignus in quem iam aliquid fortuna posset. Subducentibus vero se, & in ipsa morte ad vitam respectantibus, manus iniciendae sunt. Neminem flebo latum, neminem flentem. Ille lacrymas meas ipse abstergit, hic suis lacrymis efficit ne ullis dignus sit. Ego Herculem fream, quod viuus viritur: aut Regulum, quod tot clavis configitur, aut Catonem, quod vulnus suum iterauerit: Omnes iti leui temporis impensa inuenierunt, quomodo aeterni fierent: ad immortalitatem moriendo venerunt. Est & illa solitudinum non mediocris materia, si te anxie componas, nec ulli simpliciter ostendas: qualis multorum vita est ficta & ostentationi parata. Torquet enim assidua obseruatio sui, & deprehendi alter, quam solet, metuit. Nec unaquam cura soluimur, ubi toties eos aestimari putamus, quo;

tiens aspici. Nam & multa incident, quæ intuidos dene-  
dent: & ut bene cedar tanta sui diligentia, non tamen iu-  
cunda vita aut secura est, semper sub persona viuentium.  
At illa quantum habet voluptatis sincera & per se ornata  
simplicitas, nihil obtendens motibus suis. Subit tamen &  
hæc vita contemptus periculum, si omnia omnibus pa-  
tent. Sunt enim qui fastidian, quicquid proprius adierunt.  
Sed nec virtuti periculum est, ne admota oculis reuile-  
scat: & satius est simplicitate contemni, quam perpetua si-  
mulatione torqueri. Modum tamen rei adhibeamus. Mu-  
lsum interest, simpliciter viuas an negligenter. Multum in  
se recedendum est. Conuersatio enim dissimilium, bene  
'composita' disturbat, & renouat affectus, & quicquid im-  
becillum in animo, nec percuratum est, exulcerat. Misce-  
da tamen ista, & alternanda sunt, solitudo & frequentia.  
Illa nobis faciet hominum desiderium: hæc nostri: & erit  
altera alterius remedium. Odium turbæ sanabit solitudo;  
tædium solitudinis, turba. Nec in eadem intentione æqua-  
liter retinenda mens est, sed ad iocos reuocanda. Cum  
pueris Socrates ludere non erubescet: & Cato vino la-  
xabat animum, curis publicis fatigatum: & Scipio triun-  
phale illud & militare corpus mouit ad numeros, non  
molliter se infringens, ut nunc mos est, etiam incessu ipso  
ultra muliebrem mollitiem fluentibus, sed ut illi antiqui  
viri solebant inter lusum ac festa tempora virilem in mo-  
dum tripudiare, non facturi detrimentum etiam si ab ho-  
stibus suis spectarentur. Danda est remissio animis: melio-  
res acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agitis non  
est imperandum: cito enim exhauster illos nunquam in-  
termissa fecunditas: ita animorum impetus assiduus labor  
frangit. Vires recipient paulum resoluti & remissi. Nasci-  
tur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quedam  
& languor. Nec ad hoc tanta hominum cupiditas tende-  
ret, nisi naturalem quandam voluptatem haberet lusus io-  
cuque: quorum frequens vsus, omne animis pondus, om-  
nemoque vim eripiet. Nam & somnus refectio necessari-  
us est. Hunc tamen si per diem noctemque continuies,  
mois erit. Multum interest, remittas aliquid, an soluas.  
Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilarita-  
tem homines publice cogeneretur, tanquam necessarium  
labori-

laboribus interponentes temperamentum. Et magni, ve  
dixit, viri quida*m* sibi menstruas certis diebus ferias da-  
bant: quidam nullum non diem inter & otium & curas di-  
uidebant. Qualem Pollionem Afinium oratorem ma-  
gnum meminimus quem nulla res vltra decimam reti-  
nuit. Nec epistolas quidem post eam horam legebat, ne  
quid nouæ curæ nasceretur, sed totius diei laetitudinem  
duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interiunxe-  
runt, & in postmeridianas horas aliquid lenioris opera*e*  
stulerunt. Maiores quoque nostri nouam relationem post  
horam decimam in senatu fieri vetabant. Miles vigilias di-  
uidit, & nox immunis est ab expeditione redeuntium. In-  
dulgendum est animo: dandumque subinde otium, quod  
alimenti ac virium loco sit: & in ambulationibus apertis  
vagandum, vt cœlo libero & multo spiritu augeat attol-  
latque se animus. Aliquando vestatio iterque, & mutata  
regio vigorem dabunt, conuictusque & liberalior potio-  
non nunquam & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt  
merget nos, sed vt deprimat curas. Eluit enim curas: & ab  
imo animum mouet: & vt morbis quibusdam, ita tristi-  
tia*e* medetur: Liberque non ob licentiam lingue dictus  
est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum ani-  
mum, & asserit, vegetiore*e* & audaciore*e* in omnes  
conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio*e* est. Et Solonem Arcesilaumque induluisse vino credunt.  
Catoni ebrietas obiecta est. at facilius efficiet, quisquis  
obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem.  
Sed nec sœpe faciendum est, ne animus malam consuetu-  
dinem ducat: & aliquando tamen in exultationem liberta-  
temque extrahendus, tristisque sobrietas remouenda pau-  
lisper. Nam siue Græco poëta*e* credimus, aliquando & in-  
sanite iucundum est: siue Platoni, frustra poëticas fores cō-  
pos sui pepulit: siue Aristoteli, nullum magnum ingenium  
sine mixtura dementia*e* fuit. Non potest grande aliquid &  
supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & so-  
lita contempsit, instinctu*e* sacro surrexit excelsior, tunc  
demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest  
sublime quicquam & in arduo positum contingere, quam-  
diu apud se est. Desciscat oportet à solito & ciferatur, &  
mordeat frenos, & rectorem rapiat suum: coque ferat, quo

per se timuisset escendere.

Habes, Serene carissime, quæ possint tranquillitatem tueri, quæ restituere, quæ surrepentibus vitiis resistant. Illud tamen scito, nihil horum satis esse validum, rem imbecillam seruantibus, nisi intenta & assidua cura circumeat animum labentem.



## L. ANNÆI SENECAE AD SERENVM, QVOD IN SAPIENTEM NON CADIT INIVRIA.

### C A P V T I.

**A**NTVM inter Stoicos, Serene, & ceteros sapientiam professos interesse, quantum inter feminas & maiores, non immerito dixerim; cum utraque turba ad vitæ societatem tandem conferat: sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. Ceteri sapientes molliter & blande, ut fere domestici & familiares medici, ægis corporibus, non qua optimum & celestimum est medentur, sed qua licet. Stoici virilem ingressi viam, non ut amena inuentibus videarunt curae habent, sed ut quam primum nos eripiant, & in illum editum verticem educant, qui adeo extra omnem teli iactum surrexit ut supra fortunam emineat. At ardua per quæ vocantur & conflagosa sunt. Quid enim plano editur excelsum? Sed ne tam abrupta quidem sunt quam quidam putat. Prima tantum pars saxa rupeisque habet, & innij speciem; sicut plœtaque ex longinquo speculantibus abscissa & connexa videri solent, cum aciem longinquierat fallat. Deinde proprius adeuntibus eadem illa quæ in unum congeserat error oculorum, paulatim adaperiuntur: tom illis quæ præcipitia ex intervallo apparebant, reddit lene fastigium. Nuper cù incidisset mentio M. Catonis, indigne ferebas (sicut es iniquitatis impatiens) quod Catonem ætas sua parum intellexisset, quod supra Pompeios

& Cæ-